


† MARCUM †

mundo · & exclamauit dicens · quid nobis & tibi
ihū nazarene · uenisti perdere nos · scio quis sis sc̄s dī ·
& comminatus est ei ihs dicens · obmutesce · & exi
de homine · & discerpens eum spiritus inmundus ·
& exclamans uoce magna · exiit abeo · & mirati
sunt omnes · ita ut conquirerent inter se dicentes ·
quid nam est hoc · quae doctrina haec noua · quia
in potestate & spiritibus inmundis imperat · & oboe
diunt ei · & processit rumor eius statim · in omnē
regionem galilaeae ·

Et protinus egredientes de synagoga · uenerunt
in domum symonis & andreae · cum iacobo & iohanne ·
Decumbebat autem socrus symonis febricitans ·
& statim dicunt ei de illa · & accedens eleuauit eam ·
adprehensa manu eius · & continuo dimisit eam
febris · & ministrabat eis · uespere autem facto ·
cum occidisset sol · adferebant ad eum omnes male
habentes · & daemonia habentes · & erat omnis
ciuitas congregata ad ianuam · & curauit multos
qui uexabantur uariis languoribus · & daemonia
multa eiciebat ·

Et non sinebat loqui ea · quoniam sciebant eum ·

Et diluculo ualde surgens · egressus abiit in desertum
locum · ibique orabat · & persecutus est eum
symon · & qui cum illo erant · & cum inuenissent eum ·
dixerunt ei · quia omnes quaerunt te · & ait illis ·
eamus in proximos uicos & ciuitates · ut & ibi

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
HEIDELBERG
MANCHESTER 1824
The University of Manchester
HESSEN
Staatliche Schlösser und Gärten Hessen
UNESCO
Organisation der Vereinten Nationen für Bildung, Wissenschaft, Kultur und Kommunikation
Kloster Lorsch Welterbestätte seit 1991
© Copyright of The University of Manchester, John Rylands Library 2013
http://bibliotheca-laureshamensis-digital.de/view/jrl_latin-ms-9/0117